



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum  
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 5. Infamis & miser exitus vanitatis & impuritatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

Et verò ludibrium subesse non potest, inquiebant, cum vox eadem fuerit iterata; & non dormientibus, sed vigilantibus, & preces ad cœlum fundentibus audita. Denique hoc eos, ut plerumque nimis credulos, maximè fefellit, quia falli se non posse arbitrabantur. Nihil ea ampliùs nocte somni capiebant, horæ omnes nimis longæ videbantur; diem properare, singulis penè momentis temporis, optabant. Lux ubi vel crepera terris est reddita, citatam ad se filiam oculis metiuntur, & solito pinguiorem factam deprehendunt simillimamque prægnanti. Tum serò atque ex animi sententia fateri iubent, unde illi uterus creuerit? Illa non diu responsum meditata, illico, uti à proco instructa erat, dixit, Virginem se esse illibatam, ceterùm si & mater sit, virtute id altiore factum esse debuisse. Huc ducit impudentia. *Erubescere debemus, & condemnare peccatum, non defendere*, ait S. Ambrosius ille officiorum magister, *quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulat*. Cumulavit & hæc puella culpam apud mortales pariter ac immortales.

S. Ambros.  
lib. de Abel  
& Cain.

V.  
INFAMIS ET  
MISER EXITVS  
VANITATIS ET  
IMPIETATIS.

Vidisses parentes, præ gaudij magnitudine, se non capientes. Et, quia magnæ lætitiæ animorum, non possunt premi, illico vicinis, vicini familiaribus, hi amicis suis dicunt, scribunt, narrant, & quæ ab Angelo manifestata, & quæ à filia Virgine modestissima, modestissimèque intellecta fuissent. Ex rumore fama, è fama fit, in omnibus plateis clamor, & ingens congratulatio omnium synagogarum. Concurritur undique è pagis, castris, urbibus, ad virginem videndam, salutandam, munerandam, quæ Messiam esset paritura; congeruntur dona, honores exhibentur. Sed nemo omnium suam personam melius egit, quàm puella, doctissimè simulans sanctitatem, & in sinum suum ridens, quòd, cum lupanari debita esset, throno Salomonis digna censeretur. Insultabant iam etiam Iudæi Christianis, quòd, in eum usque diem, gratis Christum pro Messia habuissent, & in eo impletum iactassent, quòd Isaias esset vaticinatus: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*: Iam demum apparere imposturam Christianorum, Iudæorum verissimam veritatem. Talia, per totam ciuitatem Wormatiensem, perque dissita etiam loca, non sine offensione multorum, quotidie iactabantur. Verè, tu Deus, *odisti observantes vanitates superuacuas; & in vanitate sua apprehenditur peccator*. Nam inanissimos hos triumphos

Isa. 7. 14.

Psal. 30. 7.  
Eccli. 23. 8.

phos

phos in magnum luctum conuertisti. Aderat iam tempus pariendi, quo ingens ad domum puella confluit multitudo Iudaeorum cupientium noua natiuitate diu desiderata, laetificari. Sed iustus Deus, vanam spem iniquorum conuertit in fabulam, gaudium in tristitiam, expectationem in confusionem. Vt enim eorum patres olim, cum Herode, de natiuitate salutifera filij Dei turbati sunt; ita & ipsi gaudere de vanitate in luctum desitura merebantur. Adfuit ergo tandem hora partitionis, & ecce, ad aliorum mulierum morem, dolores, gemitus, clamores exaudiebantur, & prope Corybantes necessarij erant, qui cymbala pulsarent, ne tanti puellae eiulatus a gente Hebraea, antefores, & in plateis ante domum stante perciperentur. Quanquam ij clamores vocibus Iudaeorum satis confundebantur, identidem clamantium, *Messia, Messia veni, desiderium collium aeternorum, desiderate cunctis gentibus.* Magna expectatio, magna illusio. Parturiant montes, nascetur ridiculus mus. Nam haec dum clamarent magnis vociferationibus, prodijt tandem infans in lucem, sed infelciter; metamorphosi prorsus inopinata: non enim Messiam, sed puellam peperit putata virgo; cuius spes omnes, omnis honor, gaudiu omne in irritum ceciderunt. Riserunt Christiani Messiam feminam; triumphauit vera Religio; data est in ruborem vanitas: Mendacium futuro atramento absolutum: Iudaei tanta ignominiae impatientes, penè dirupti sunt indignatione; quorum vnus in furorem datus arreptum pede infantem ad parietem allisit; mortemque infanticidio, ipse etiam meruit. Parentes, postquam puerperam tormentis adegerunt prodere stupratorem, penè ipsi etiam, luctu contabuerunt. Filia pra pudore, non ausa est amplius in publico comparere, omnium digitis notanda, mensis omnibus narranda, omnibus seculis cantanda. Hunc finem habet infamis voluptas. Verè D. Hieronymus exclamat: *o quam acerbis fructus luxuria, amarior felle, crudelior gladio! foetentior hirco.* Vnde in Emblemate,

*Est eruca salax, indexq; libidinis hircus.*

Nullum certe peccatum est magis erubescendum, nullum, ipsa natura duce, homines magis occultare nituntur; vnde & inter opera tenebrarum praecipue computatur; & à S. Paulo *passiones ignominiae* appellantur, quae ad hoc peccatum incitant. In inferno, igne

fulphu-

Andr. Alciat.  
Embl. 72.

VI.

INFAMIA LI-  
BIDINOSORVM,  
Rom. 1, 26.